

VII. *De modo marmoris albi producendi,*  
*Dissertatio epistolaris Domino Maty, So-*  
*cietatis Regiae Londinensis Secretario,*  
*auctore R. E. Raspe, Sereniss. Hass.*  
*Landgravio à Consiliis, S. Reg. Sodali.*

Read Feb. 8.  
 1770. **R**ECENTI hæret memoria & Socie-  
 tatis Regiae me cooptantis collocatum  
 beneficium, & promissum ea occasione a me datum,  
 me de modo marmoris albi producendi, ubique  
 natura materiem præbuerit, tecum collocuturum.

Digna certe res, quae doctorum hominum sub-  
 ciatur examini & a peritis in artium vertatur com-  
 modum.

Observavit ab aliquo inde tempore Rev. Abbas  
 Vegni, fundi vel dominus vel possessor, thermarum  
 S. Philippi fontes ad Radicofanum in Etruria sitos, ad  
 viam, qua Florentia Romam itur. Vedit 1°, de colle  
 parum edito, & qui totus ex marmore candido com-  
 positus videtur, diversis rivulis defluentes. 2°, Sulphure  
 abundare didicit ex floribus sulphuris aquae innatan-  
 tibus ; & de virtute medica quaedam ni fallor legisse  
 me memini in Targioni Tozzetti itinere litterario per  
 Toscanam instituto. Quod vero magis ad rem est,  
 vedit, 3°, frequentiorem deponentes tophum candidum  
 atque nitentem eoque uti rivulorum & canalium la-

tera ita quaelibet his injecta corpora dura incrstantes, & sic quidem ut tophus ille exactissime impressam servet imaginem & formam incrstantorum corporum, si feliciter rumpi contingat. Rivulis autem istis aucto topho cumulato aut alio casu obturatis exundare, 4°, vident aquas, & quem ante in ipsis canalibus deponuerant tophum jam deponere in quocunque novo altiore jam defluant alveo.

Ea omnia viro ingenio potenti duplcam moverunt suspicionem, felicem utramque; primam, totum istum thermarum collem non esse nisi successive ab aquis exundantibus cumulatam molem tophi hujus candidi atque nitentis, nam natura exactissime convenient, praeter quod tophus noviter depositus aliquantum mollior esse soleat interiore collis lapide; alteram, tophi istius praecipitationem artibus inservire posse, si formis capiatur.

Felices dixi hasce viri conjecturas, & tales revera dici merentur. Quod ad primam enim, ea mirum quam belle, non ex ingenio, sed facto petitam, rationem reddit originis collis non solum Radicofanensis, verum etiam, quod mihi addere liceat, originis lapidicinarum Marmoris candidi.

Illae nunquam occurrunt in montibus stratorum regulam servantibus, sed qui toti constant ex rudi, informi, indigestoque solido saxo, nullum plantarum aut animalium marinorum continente vestigium, ex successiva appositione facillime explicando, non conveniente cum reliquis hucusque de origine montium datis hypothesibus. Pleraque etiam marmoris candidi species per crystallationem quandam coauisse cuilibet inspectanti videntur; & quae inclusa marmoris faxis solidis nonnunquam cum hominum stupore

pore inventa fuere ferramenta arte facta, clavi, cunei, dolabrae, mallei caedendis aut poliendis lapidibus inservientia, ea jam non lapidum quandam vegetationem aequivocam, qualis Tournefortio, Baglivio credo etiam Stenoni animo haerebat, produnt, sed quod res est faxi olim fluiditatem & successivam appositionem.

Raro naturam in facto deprehendere licet. Semel deprehensam alteram Protea non dimittamus, antequam & de aliis suis operibus responsa dederit. In memoriam igitur tibi revoces velim montes alabastriferos, gypseos, tophaceosque. Quidni & hos a fontibus olim exundantibus & tophum, pro molecularum natura diversum, deponentibus originem habuisse statuamus? Natura, quae marmoris candidi faxis in permultis similes creavit, tantum abest ut impedit, ut magis ipsa eandem originem illis esse indicet, quam Radicotani tophis esse confessa est.

Vidi egomet complures alabastri & gypsi fodinas, Osterodae ad fauces Hercyniae, Ronnebergae prope Hannoveram, Weentzae in praefectura Lanensteinensi & Morphihae in ripa Fuldae aliquot lapidibus cassellis distante loco. Nullum unquam in his regulae stratorum aut corporum marinorum vestigium. Fluxisse vero materiem & irriguisse omne mihi praedicabat saxum; imo, quod ipsum majorem cum Tophis & aquis Radicofanensibus indicat similitudinem, pleraeque alabastri & gypsi species, cum calcinantur, sulphur odore produnt, quod nativum & pellucidum inest gypsi minerae Weentzeensi, ex micis & lamellis glaciei Mariae candidissimis compositae.

Quod ad montes tophaceos attinet, illi per omnes provincias calce abundantes occurrere solent, frequenter prope Gottingam & Jenam & ubicunque aquae tophum deponunt. Nec in his ullum stratorum aut corporum marinorum vestigium ; saepissime autem illis inclusae leguntur plantarum terrestrium imagines & concharum fluvialium testae. Quam maxime memorabilem hujusmodi collem, & absque Radicofanensis autoritate, reliquorum similium originem prodentem mihi indicavit excellentissimus liber Baro de Wultz, Serenissimi Hassiarum Landgravii a Consiliis intimis. Situs is est in comitatu Schaumburgensi, & habet fontem incrustantem de vertice defluentem ; intra hominum vero memoriam altitudini ejus aliquid adjectum ex certissimis geometrarum observationibus & accolarum testimoniis constat, occultavit etenim turris cujusdam haud procul distantis cuspidem, olim geometris in vicina planicie constitutis conspicuam, & proinde pro objecto fixo atque constante usitatam, cum chartam regionis geographicam delinearent aliquo abhinc tempore ad veteres mensuras exactam & emendatam.

Hifce novis montibus suo & optimo quidem jure jungo, quos ad mare Caspium, prope antiquissimam Persarum urbem Baku, a se visos descripserunt Kaempfer in Amoenitatum exoticarum fasciculo, N. p. 280. & 282. & D. Lerche in Itinerario recentissime edito in Buschingii collectionis geographicae, quam vernacula lingua Geographisches Magazin inscripsit. tomo III. Quos Lerchius nostra memoria vidit aliquot dierum itinere ab urbe supradicta distant, siti ad pagum Nawagi, & tractu plus quam quindecim werstarum

starum currunt. Lerchii autem verbis, cum quibus Kaempferiana in praecipuis conspirant, describam :  
 " Hic vidi, inquit, montium crescentium miraculum.  
 " Proximi viae altitudine vix casam rusticam, remo-  
 " tiores turrem aequabant. Colore sunt cinereo,  
 " steriles, sine ullo gramine inhospitales, figura coni-  
 " formi. Solum limus salsus. In vertice fons aquae  
 " salsa, paludosae, turbidae, nonnunquam quasi  
 " ebullientis atque exundantis, quo facto sedimen-  
 " tum vertici appositum siccatur & continuo altiores  
 " reddit. Fontibus igitur hisce perpetuo mananti-  
 " bus hosce etiam colles annua & perpetua habere  
 " incrementa in aperto est. Vidi tamen nonnullos  
 " plane exfiscatos conspicuae altitudinis in vicinia  
 " aliorum noviter ortorum vertice adhuc aquoso &  
 " exundante. His vestigia caprarum sylvestrium sale  
 " allectorum frequentissime impressa visuntur. Ac-  
 " cepi postea autumnali & brumali tempore, quo  
 " pluviae abundant, largius & copiosius defluere.  
 " Tribus etiam a via lapidibus distans montium  
 " jugum vidi, de quo limus iste salsus per latum  
 " terrae tractum decurrebat. Metu infidi soli atque  
 " nimis paludososi territus proprius accedere non sum  
 " ausus ; altiorum etiam montium vertices pro-  
 " fundissimos nunciabant fontes."

Haec sufficient ad illustrandam Vegrini ex thermis Radicofanensibus deductam conjecturam à me latius & de diversorum aliorum in continentि montium nova origine expositam ; quae factis & observationibus fundata mihi quidem divinam illam medicorum naturae simplicitatem, ejusque in hisce mediis divitias novis argumentis firmare, imo haud spernendum historiae naturalis, & ejus quod aliquot abhinc

annis Societati Regiae inscripti, speciminis de novis insulis & montibus augmentum videtur.

Venio ad usum, quem tophi Radicofanensis praecipitati Abbatii Vegrio promittere videbatur, & re vera praestitit. Tam prosperum vero successum habuere prima ab illo instituta experimenta, ut officinam hujus generis tophaceorum operum ad thermas S. Philippi suis sumtibus aperuit, jam laete florentem. Formis operum variorum sculptilium e gypso confectis, iisque vernice probe saturatis atque oleo aut alia pinguedine subtili illitis, in thermarum alveos impositis, colligunt tophum, intra sex dierum spatum ad crassitatem duarum linearum accrescentem, quae ad minora opera sufficit; & sic fiunt anaglypha seu prostypha (bas-reliefs), tabulae, medalliones, portarum, fenestrarum, caminorum postes atque ornamenta architectonica, quae si elegantioris operis formae adhibitae fuerint praestantium sculptorum celo facta & ex purissimo marmore Carrariensi elaborata videntur. Minori pretio venire, quam quae ex marmore fiunt & gratissimam ornamentorum architectonicorum & sculptilium materiem praebere primum est indicatu & quilibet videt apud quem sculpturae suus constat honos, Ipse in collectionibus meis beneficio Langhansii architecti Wratislaviensis, aliquot abhinc mensibus ex Italia reducis, possideo hujusmodi tophaceum Radicofanensem medallionem, GER-TRVDIS. FLANDERENSIS. DVCISSAE. LOTH. ET MARCHIONISSE. qui nitore & elegantia sculptoris eximii manum, & pelluciditate, colore candido cereo, granique subtilitate & cum acidis effervescentia, optimum marmor Carrariense mentitur. Nil igitur moror, quam non vidi medallionum Lotharingiae &

& Etruriae Ducum seriem Imperatori, cum Italianam perlustraret, oblatam.

Supereft ut in usus nostros convertamus inventum in se eximum, quod ubique mihi quidem fieri posse videtur, ubi in cavernis aut metallifodinis stalactitae generantur, aut fontes, thermae & acidulae fluunt, tophum duriorem eumque candidi aut grati coloris deponentes.

Misi in propinquam Hercyniam nonnullas medallionum formas, ut in cavernis Baumanniana & Schartzfeldensi stalactitis candidi, rigentem undam destillantibus, subjiciantur. Missem in thermas Carolinas Bohemicas, quae tophos varios, pisiformes candidos, alios grani subtilitate marmori similes eosque frequentes deponunt in canarium alveis, sed de erat cui committerem. An in Hercynia experimentum successerit alio tempore scies. Et quidni in ipso imperio Britannico, per omnes terrarum partes late patente, omniumque jam bonarum artium alma matre, tuis & Societatis Regiae auspiciis eadem experimenta fiant?

Vale, ut literis, & amicis vivas; meque & mea studia Societati Regiae commendare perge. Dabam Cassellis, 10 Octobris, 1769.